

15  
DELICIARUM  
EPISTOLICARVM  
FESTIVALIUM

*Exercitatio decima quinta*

*PATROCINANTE*

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasii

Hallensis

*Respondente*


FRIDERICO HOFFMANNO

Hallensi Saxone

*in*

*In Festo Petri & Pauli*

*cl. 10. C. XLIV.*




HALLIS SAXONUM

*Typis Heredum Melchioris Oel-*

*schlegely.*

---

M. DC. XLV.






ANALYSIS.  
EPISTOLÆ  
PETRI PAULI

*Act. 12. à v. 1. ad 12.*

THESIS I.



Uod Psaltes Da-  
vid Ps. 116, 10. de se  
testatur in Spiritu, dum  
inquit: Credidi, propter  
quod locutus sum, ego  
autem humiliatus sum  
nimis, id optime etiam  
de statu Discipulorum CHRISTI, Petri &  
Pauli asseverari potest. Crediderunt quippe &  
locuti sunt, sed humiliati etiam & afflicti nimis.  
Paulus illa ipsa verba Davidica de se & suis  
pronunciat, in 2. Cor. 4, 14. dumq; fidei &  
confessionis mentionem facit per afflictiones; nec

A 2.

à fide

à fide dimoveri, nec confessionem abicere voluit. Petrus & affectu & effectu idem confirmat. Coniungitur autem istorum duorum memoria, quia uno in loco, una die, sub uno persecutore, uti loquitur 2. q. 7. c. Beati, sub Nerone scilicet martyrio coronati perhibentur, uti Eusebius Lib. 2. c. 25. recenset. De Paulo vero alibi.

2. De Petro agitur in Epistola partim quoad incarcerationem, ubi præmittitur exordium secundum temporis circumstantiam, de causa procreante, quod fuerit quorundam in genere de Ecclesia infestatio, Act. 12. 1. In quo tempus, quod nimirum ubi plantata Ecclesia est, & Hierosolymis exposuerat Petrus quomodo DEUS illum Cornelium & alias gentes recepisset ad cognitionem Evangelii, quod & Antiochia receperat, trucidatusq; Stephanus, aliquo modo Hierosolymis habuerint Christiani Halcyonia & inducias, sed ad tempus.

3. Eventus, qui continet modum à causa efficiente. descriptum, quod iniecerit rex Herodes manus: nempe Agrippa nepos Herodis primi infanticida & patruus Antipæ, qui tamen postmodum à vermibus absumentus, uti tyranni solent.

4. Et

4. Et effectum, ut affligeret quosdam  
de Ecclesia; quum enim obtinisset regnum  
Hierosolymitanum & liberalitate Caji & Clau-  
di Imp. Roma reversus Hierosolymam, ut vi-  
deretur Judaica religionis, quam studiosissimus  
ac sacerdotibus gratificaturus aliquot Christi  
discipulos afflixit & necuit. Nunquam e-  
nim sunt Christiani sine hostibus. Et quidem  
hae sunt cause potissimum persecutionis tyran-  
nis, primò ut gratificentur hostibus vera do-  
ctrina: sic Pilatus CHRISTUM, sic Herodes  
Paulum, 2. odium Evangelii, quod peccata  
reprehendit. 3. metus, ne turbetur Respubl.  
nova doctrina.

5. Et in specie Jacobi trucidatio v. 2.  
In quo factum, quod interemerit Jacobum ma-  
jorem fratrem Johannis. Atq; hic exitus fuit fi-  
lii illius Zebedei unius inter Boanerges, uti  
CHRISTUS vocat Marc. 3, 17. Tyranno-  
rum enim mos est sanguine gaudere, eumq; ef-  
fundere.

6. Tum instrumentum, quod factum sit  
gladio, uti testatur illud ipsum uberius Euseb.  
l. 2. c. 9. Preter Johannem enim omnes violen-  
ta morte perierunt Apostoli, uti & Paulus, re-  
ferente Eusebio l. 2. c. 25. & Niceph. l. 2. c. 34.  
Ita tyranni non tantum persequuntur & affli-  
gunt, sed etiam trucidant.

7. Et post describitur Petri captivatio v. 3. in quo tum causa impulsiva materialis, cum vidisset gratum esse Judaeis. Ita & alter Herodes Antipa Johannem occiderat in gratiam Herodiadis Matt. 14. 10. Redimere quippe solent tyranni piorum sanguine impiorum gratiam.

8. Et formalis, quod perrexerit etiam comprehendere Petrum: non enim quiescunt impii, nec satiantur unius vel alterius sanguine, sed pergunt malitiam.

9. Tum est circumstantia, quod fuerint dies Azymorum, qui sunt dies Hebdomadis Paschalis. Atq; ita conformis imagini CHRISTI Domini sui factus. Dixerat enim ad eum Joh. 21, 19. sequere me: & secutus est in dilectione, dum ter interrogatus confirmavit, & in simili gregis Domini passione: siquidem circa idem festum, sed decennio post, captivus abducitur, carcere injicitur & noctu, uti CHRISTUS resurrexit, Itidem vinculis solutus, dormientibus custodibus, ab angelo educitur. Ita nimirum pii conformes redduntur Rom. 8, 29. uti in cruce, ita etiam in luce, uti in ignominia, ita etiam in caelesti gloria.

10. Et assertio v. 4. In quo habetur eundem modus, cujus antecedens, quod cum apprehendisset, eum posuerit in carcerem, ut videli-

cet.

et sub specie iudicii accusari & capitis damna-  
ri possit, uti & Iacobo contigerat. Ita & ty-  
ranni solent speciem aliquam iustitiae prae-  
dere, ne videantur tales, quales tamen omnino  
sunt habendi.

11. Consequens, quod tradiderit ipsum  
quatuor quaternionibus militum asservan-  
dum. Ita arctè custoditur Petrus à 16. militi-  
bus, qui dicuntur tales, ut singulis quaternis  
noctis semper adessent quatuor milites: nempe  
intus fuerunt duo, ante fores duo, ne elabi ullo  
modo posset. Scopus, ut post Pascha produ-  
ceretur populo, nimirum accusandus & tandem  
trucidandus. Ita notanda perversitas Iudeorum,  
qui ut sancti haberentur, dies festos religiosè  
celebrant, & tamen innocentes comprehendunt  
& interficiunt. Sic servare voluit Herodes  
in rebus externis praecepta DEI, uti solent hy-  
pocrite, interim peccavit gravissimè.

13. Partim habetur Petri divina libera-  
tio, cuius antecedens quoad Petrum, tum  
quod facta pro ipso ab Ecclesia oratio v. 5.  
In quo materia, quod Petrus servatus in carce-  
re propter causas in precedentibus recensitas.  
tum causa impulsiva deliberationis deno-  
minatur, quia preces factae pro eo: quae descri-  
buntur, quoad modum, quod sine intermissi-  
one fuerint, secundum praeceptum Apostoli:

orate indefinenter, magna enim vis est orationis, uti habetur Iacob. 5, 16. Luc. 18, 1. 7. 8.

13. Quoad actum, cuius causa, quod ecclesia oravit. Hoc est tota multitudo credentium. Non ergo preces publice negligenda, sed potius magnificanda, cum promissa non tantum sit presentia Matt. 28, 20. verum etiam exauditionis excellentia Luc. 18, 7. Quemadmodum quoque testatur exemplorum frequentia, uti habetur Act. 4, v. 31. ubi precatione, in multitudine fidelium facta motus locus, & Act. 16, v. 25. ubi Paulus & Silas liberati.

14. Et objectum, quod precatio facta ad DEUM, ut qui solus iuvare potest, propterea etiam solus invocandus. Debemus itaque in periculis pro fratribus orare, uti & monet Paulus Rom. 15, 30. & seqq. ad Ephes. 6, 18. seqq.

15. Tum Petri inter milites cubatio v. 6. In quo ejus circumstantia in genere, quod eum esset producturus Herodes: nempe ut gratificaretur populo. Repetitur vero ut magis observetur miraculum liberationis, simul ut causa noveretur incarcerationis, qua fuit Herodes. In Specie, quod nocte illa precedente, scilicet ita DEUS, qui custodit Israël, non dormit, neque dormitat Ps. 121, 4. Sed perpetuo pro nobis vigilat & nocte etiam nos, nostraque curat.

16. Es

16. Et forma, que continet modum in genere, quod dormierit Petrus, nimirum securus de DEI benevola providentia, uti habet Ps. 3, 9. quemadmodum & Paulus collega eius Phil. 1, 14.

17. In Specie, quoad propria, quod tum inter duos milites dormierit, ut qui, sicut antea dictum, ipsum custodire delictum quod catenis vinctus duabus. Sic arte quidem custoditur, intra pedus tamen libertate Spiritus, quem CHRISTUS credentibus spondet Ioh. 8, 32.

18. Quoad remotiora, quod custodes ante ostium custodierint carcerem: ne ullo modo elabi posset: nam intus duo fuerunt, ante fores reliqui vigilaverunt, ut impossibilis respectu hominum videretur hominis evasio. Ita nimirum solliciti sunt mali in sceleribus, contra negligentissimi in pietate.

19. Et quoad angelum, ubi Petri ab angelo facta excitatio, v. 7. Cujus antecedens est tum angeli presentia, quod angelus Domini astiterit, non quasi ante non adfuerit, sed quia visibiliter sese revelavit. Ita angeli sunt ministri timentium Dominum Ps. 34, 8. Ps. 57, 4. Hebr. 1, 14. Et lucis apparentia, quia sunt ipsi angeli flamma ignis Ps. 104, 4. uti & pastoribus Bethlehemiticis asti-

vis angelus & gloria Domini, signumq; est fa-  
voris divini Luc. 2, 9.

20. Consequens, est ex somno evoca-  
tio, cujus modus in facto, quod percussit  
latus Petri & excitaverit, simile quid ab an-  
gelo factum in historia Elia persecutionem pas-  
si 1. Reg. 19 v. 5. & seqq. ubi Eliam excitat an-  
gelus ad cibandum, hic Petrum ad liberan-  
dum. In verbo quod dixerit, surge velociter.  
Spiritus enim gratia, nescit tarda melimina.  
Et à catenis solutio, quod exciderint catene  
de manibus: nil enim resistere potest heroi cœ-  
lesti potentia instructi, facienti verbum Do-  
mini Ps. 103, 29. Nec dormiendum est, ubi  
DEO serviendum, omniaq; impedimenta re-  
movenda.

21. Et angeli, quo Petrus se indueret &  
ad abitum prepararet postulatio v. 8. In quo  
præcinctus, dum dixit angelus: quò præcin-  
geretur & subligaret soleas, quia enim dormie-  
rat, ideoq; exutus. ne ergo vere cundia laderet-  
ur, ut sese vestiret, monuit angelus: & abitus,  
quod ut amiculum sumeret & sequeretur, mo-  
nuerit, ne scilicet quippiam relinqueretur.

22. Liberationis consequens, quoad  
opinionem, & est Petri dubitatio v. 9. In quo  
factum, quod secutus exeuntem angelum.  
Miraculi enim magnitudine percussus Petrus  
&

Et celestis angeli gloria velut obstupefactus,  
secutus mandatum. In divinis enim non diu  
disputandum, sed obtemperandum.

24 Et dubium negativè, quia nesciebat  
verum esse, quod videbat per angelum. Non  
quod existimaverit spectro se deludi, quales  
præstigia hominibus sæpe à Sathana objiciun-  
tur. Et affirmativè, sed quod putavit se visio-  
nem videre. Id est an externo modo, an interno  
per visionem ista gererentur, cuiusmodi visi-  
onem alias in ecstasi rapuit Act. 10, 10. nar-  
rat. Laudandus itaq; Petrus, qui in manda-  
ta angeli non anxie & sollicitè inquisivit, sed  
promptè & fideliter obedivit. Ita quamvis du-  
bitemus & ignoremus modum rei, tamen sati-  
us est verbo DEI credere, & rationem potissi-  
mum in mysteriis captivare, simulq; mandata  
DEI præstare.

24 Quoad rei veritatem est januarum  
adapertio & angeli discessio v. 10. In quo de  
transitu, ubi de custodia quod cum transe-  
runt primam & secundam custodiam, de qua  
supra, quia alii custodes intra carceres fuerunt  
quamvis & de januis intelligi possit, ut quem-  
admodum catena subito soluta, ita etiam trans-  
itus patuerit per januas. Et de porta ferrea,  
quod ea ultro aperta, ut liber per eam egressus  
Petro fuerit. Coguntur enim cedere Deo, ejuq;  
mandato parere omnes creature.

es. Et

25. Et de angeli abitu, quod ut egressi & progressi vicum unum ( comitabatur enim ipsum, usq; dum extra periculum carceris Escustodum constitutus, secundum promissionem divinam.) tunc statim discesserit angelus ab eo. Id est visibiliter apparere desit, licet invisibiliter cum multis aliis angelis ipsi adfuerit. quippe perpetuum est eorum officium pios comitari, uti ad Hebr. 1, 14. habetur, sed non perpetuo visibiliter comparere.

26. Et Petri gratiarum actio v. 11. In quo antecedens, quod Petrus ad se reversus: quia enim in initio magnitudine miraculi percussus de rei veritate dubitavit, tandem ad se reversus liberatum se videt, ubi observat non esse visionem, sed rei veritatem.

27. Consequens, quod dixerit, & ita in genere scientiam veram professus. In specie confitetur tum modum, quod Deus miseris angelum suum, atq; sic summum auctorem DEUM huius miraculi depredicat ille enim solus miracula facere potest.

28. Tum effectum, quod eruerit ipsum, partim è manu Herodis, ut qui tanquam tyrannus ipsi insidiabatur in gratiam Iudeorum, partim ab expectatiõe populi Judaici. Id est, uti Syrus habet; ab eo quod cogitabant Iudei adversus ipsum, sicut ex sequentibus, in quibus  
quod

quod vehementer indignati, ipsum ita evasisse,  
colligitur. Depradicavit ergo hanc DEI mi-  
sericordiam, uti nos omnes in omnibus, potissi-  
mum in liberatione ex periculis debemus.

---

## NOTÆ

I.

**C**um vidisset gratum Judæis)  
confidera mundum placere  
velle mundanis, ut discas, si vis  
DEO placere, displicere mundo.

II.

**A**ngelus Domini supervenit)  
confidera angelos etiam in  
summis periculis adesse, ut discas  
confidere DEO, non diffidere ejus  
custodia.

III.

**N**unc verè cognosco DEUM  
misisse angelum suum.)  
confidera beneficia divina esse ce-  
labranda, ut discas post liberatio-  
nem similiter eadem depradicare.

Quæst

## Quæstio Philologica ex Evan- gelio.

1. Quid per *τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας  
τῶν ἑβραίων* in textu propriè in-  
telligatur?

**G**regorius *de valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 28.* & Bellarminus *lib. 2. de R. P. cap. 13.* Rhemenses super hoc caput summam potestatem Petro post Christum in Ecclesia per claves illas promissam fuisse contendunt.

Verùm nos huic insolenti sententiæ omnimodò subscribere non possumus, ut Aristophanicum illud merito hic valent *ἡμᾶς δ' ἔπεισῆς ἔδ' ἂν πείσῆς.* Metaphorice quidem claves potestatem quandam significare, adeoq; in genere lubenter concedimus: vid. *Luc. 11. tm. 52.* ubi pro jure docendi, ut *Es. 22. 22.* pro principatu, at-  
men Politico, non Ecclesiastico, pro potestate regali, non sacerdotali sumitur. Propriè tamen cum dicuntur claves cælorum nil nisi absolutionem aut condemnationem, uno verbo, ministerium ecclesiasticum si-  
gni-

gnificant; atq; adeo non innuitur hic pri-  
matus quidam in ecclesia absolutus & mo-  
narchicus, sed unicè atque unicè vis & au-  
toritas aperiendi claudendiq; cælum: id est  
remittendi peccata, quæ tamen potestas  
non soli Petro, sed toti choro Apostolico com-  
missa est videatur Meisæro p. 2. Sob. Ph.  
s. 1. q. 3. Seln. Oper. Lat. part. 1. ut & alii.

2. Vocabulum Πέτρος quid si-  
gnificet?

**B**ellarminus & alii Gephyrii non tam  
idiōs quàm μετὰ Φοβικῶς accipiūt l. 1.  
de R. P. cap. 10.

Verum nos illa cum repudio omni-  
nibus dimittimus & vocabulum Πέτρος  
proprie lapidem unum, non integram ru-  
pem significare statuimus. prout & huic ra-  
tioni nostræ, non tantum Veteres classicæ  
notæ scriptores, verum & Patres per  
omnia succinunt. Hesiodus Πέτρος ἐν  
χερσὶν ἔχοντες, quibus lapides non rupes illis  
in manibus fuisse indigitat. Cicero: Mors  
quasi saxum Tantalō semper impendet. Est  
igitur Πέτρος, idem quod λίθος lapis. vid.  
Jansenium part. 1. Comm. in Concord. &  
hist.

*Hist. Evang. c. 17. volū. 140. Cyrillus tom. 1. oper. lib. 2. c. 12. in Evangelium Iohannis Col. 73. Dicitur itaq; Apostolus in textu non petra ipsa, sed lapis in hac petra.*

*3. An Pronomen Hanc ad Petrum referri debeat?*

**H**ic iterum Bellarm. vossellis quidem, sed non gladiis pugnat lib. 1. de R. P. c. 10. col. 643. Petrum hanc dicit esse Petrū potissimum ratione innixus, quia Dominus tum temporis Syriacè locutus fuerit.

*Verū cum N. T. Græco uti V. Hebraico idiomate scriptum fuerit: in dubiis non ad Syriacum, sed Græcū certè confugiendum est, quod si inspiciamus Bellarm. inū omnino sumus erit. Exiit enim ἐπὶ τῆς λίθου τῆς πέτρας super hanc petram. Ibi sanè ipsum Petrum Salvatorem intellexisse nullus orthodoxus Theologus facile asseverabit. Quandoquidem petra lapis & Petrus homo differunt genere: Atq; hæc propter ne Salvator videretur Ecclesiam super hominem edificaturus, masculinum mutavit in fœmininum ut hoc ipso innueret, se Petrum illum nequaquam Ecclesia fundamentum constitutere: idq; propter Amphiboliam tollendam. Per hanc igitur non Petrum personam Simonis, sed petram fundamentum Ecclesie notare voluit. vid. cit. Selneckerus.*

*Ad*

## Ad Respondentem

**A**ulla ferax sceleris : proverbii verba lo-  
quuntur:

Exeat ex aula qui pius esse velit.

Aulicus Herodes testis, qui carcere clausit

Quosdam, quos posset morte necare, pios.

Ac ut Judaeis, perrexit in usq, placeret

Et Petrum cogit vincula diripati,

At DEUS eripuit vinculis, & cæde tyranni;

Christi adum fusa dum sine fine preces.

Et res mira fuit: nam Petrus credit id esse

In somno somni nil nisi phasma sui.

Post ad se rediens, quod fecerit angelus: atq;

Herodis vinculis solverit ipse ait.

Cen Lucas monstrat, docet ac HOFFMANNUS.

at aulam

Improbat Herodis, pessima quippe fuit.

Aula sed in cælis speranda beatior istam

Pergat amare! potest aulicus esse bonus.

restatur & optat

## GUEINZIUS

**I**ngredier cæli quicumq, decemplitis au-  
lam,

Iustum sequiq, discipit,

Limia

Limina declinet regali splendida luxu  
& astuantes purpuras.

Casco quippe dolet virtus centone, remoto  
secumq; mutit angulo.

Aula & eos, quorum pietas praecordia sa-  
cro

thyrsu notat, nunc exsulat.

Pura fides veri nulla est, qui vera fatetur  
cunctis acerbis aulicis.

Petrus id expertus, dum vinctus colla car-  
tenis

ob veritatem candidam.

At caeli velut HOFFMANNUS succentat,  
alumnus.

exemit intentae neci.

Tu Tripode ex divo tales HOFFMANNE  
bipenni

incidere, artis, uncinos,

Phaebicolūm solio, incumbas, stabit tibi  
sella

caelestis in sacro, Clio

Te feret ad superos myrtoq; Thaleia vi-  
renti

si cinget insignis comam

ita accinebat

SAMUEL STURMIUS  
L. L.

ΑΤΛΗΝ ὅς εἰς Ὀλυμπίην πότενβαίνει  
Παθημάτων διήδε δυσυχῶν πολλῶν  
Κεῖνος πορείαν δὴ παρέυεται ἀγνήν.  
Πέτρος καθηγείται ἔρανθ Φαιδρὸς  
Ἔνοικος, ἦδ' αἰωνί οἱ ἔχων ἐθλθ.  
Θεωρέεις δὲ ταῦτα ΑΤΛΕΑΝΔΕΡ, νῦν  
Οὐν ἀξίος δόξας ἔση σὺ εἰ αἰεὶ  
Τοιαῦτα μανθάνης Ὀλυμπίων ἀήσεις  
Τῶν δωμαίων ΑΤΛΗΣ Πέτρῳ ζὺν ἐυφήμεθ  
Ὡν ΑΤΛΕΑΝΔΗΡ μακρὸς ἦδε κάλλιστος.

προσέβαλλε

Philip V Vagener  
Jeverâ Frisius.

Ὅτ' μάκαρ ὅς πρῶτος οὐ πάχει κήδεα  
κόσμου  
Αὐτὰρ ὅτις πάντων πάνμακαρ ἔστιν  
ὅλος.

Ζῆν γὰρ σπυδαοῖσι Θεῶν θέμις ἔστιν ὑπεργοῖς  
Ἐν τῇ τλημοσύνῃ τ' ἀγγρεσι θυμοβόροις.  
Ἐἰ καὶ θυμοβόρον κήδος, ταλαὴ καὶ οἴζυς.  
Καὶ θλίψει ἔπειτα τέρψις αἰεὶ γλυκερῆ.  
Ταῦτ' ἀδίκως ἔπαθον ΡΕΤΡΟΣ καὶ ΡΑΟΥ-  
ΛΟΣ ἅπαντα  
Ἄλλ' ἀλκῆ ρύσθη ἀγγελου ἔρανίθ.

ΟΒΒ.

ΘΕΒΜΑΝΝΟΣ δείξας λογίως τοιαῦτα δι-  
δάσκει

Στεῦδοι καὶ ζήσεται βίον εὐαγέως.

Φιλοπρεπῶς προσέθη

Augustus Hausmannus  
Hizakara Luneburgicus.

**F I N I S.**

ΕΠΙ ΤΩΝ ΕΠΙΣΤΗΜΩΝ

ΚΑΙ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ

ΚΑΙ ΤΗΣ ΠΑΙΔΕΙΑΣ

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks  
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-  
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers  
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder  
gestellt.

ULB Halle

006 386 679




3

*Th. 4968 1/2*

*Gabriele Grauer*

Halle, den 8.10.1970






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



DELICIAARUM  
TOLICARVM

FESTIVALIUM  
*citatio decima quinta*

ATROCINANTE  
IANO GUEINZIO  
rectore Gymnasii  
Hallensis

*Respondente*  
ICO HOFFMANNO  
Hallensi Saxone  
*in*

*esto Petri & Pauli*  
*Is. Is. C. XLIV.*

ALLIS SAXONUM  
*redum Melchioris Oel-*  
*schlegelij.*

M. DC. XLV.

15